

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

82. Aqua Comedens Paracelsi

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

XVII. GENUS.

Menstrua mineralia simplicia ex Aceto philosoph. & salibus fixis non tingentibus, tam vegetabilibus, quam mineralibus.

82. Aqua Comedens Paracelsi,
Lib. X. Arch. Pag. 37.

SUB aqua comedente vel corrodente intelligimus Acetum cum spiritu vini (*philos.*) mixtum, quod toties à sale communi abstrahatur, donec in Acetum facefferit.

Annotationes.

ACetum philosophicum, sive Acetum cum spiritu vini phil. mixtum, quod salibus volatilibus acutum reddidistis in genere præcedente, magis fit forte salium fixorum ita dictorum permixtione. Varia ex salibus alcalibus descripsimus menstrua vegetabilia in illorum quinto genere, quæ si loco spiritus vini phil. præpares Aceto philosophico, hujus generis inde fierent menstrua mineralia, licet alio & vario fuerint præparata modo, solo hoc discrimine; cum vini phil. spiritu sunt satis tardè; hæc cum Aceto philosoph. conficiuntur multo citius; imò citissime componuntur si mensuris vegetabilibus adjungatur Acetum vel commune vel philosophicum. Aqua comedens tertium est menstruum quod ex sale communi fieri observavimus. Primum habetur in quinto genere menstruorum vegetabilium, ubi sal com. fusum & resolutum per deliquium mediante vini phil. spiritu redigitur in oleum sive Essentiam salis, quæ dein cohobando aliquoties cum eodem spiritu fit dul-

dulcis & transmutatur in Arcanum salis sive circulatum minus ex sale com. secundum extat in decimo quarto genere, ubi prædictum salis oleum in sua acida (salina potius) relinquitur Essentia. Tertium; quod in præsentì docetur genere, cum primo convenit, nisi quod non vini phil. spiritu, sed Aceto phil. adeoque citius hoc præparetur, & in usu fortius existat ut menstruum minerale. Dissolve Arcanum salis sive sal circulatum in Acido quolibet non tingente, videlicet communi Aceto destillato, spiritu Nitri, sulphuris, salis, &c. & evadet aqua comedens per simplicem commixtionem; è contra si debilites vel removeas acidum aquæ comedentis vel præcipitando cum spiritu vini com. aquâ com. &c. vel digerendo per se habebis Arcanum salis sive Aquam salis circulati.

Quod de sale com. dictum, hoc etiam de Nitro, Alumine, cæterisque salibus non tingentibus intellectum esto. Receptum aquæ comedentis ex se clarum est, nisi quod in latina versione, à Salis Nitri spiritu, malè legatur; cum autographum germanicum à sale communi, habeat. Errorem ut corrigas oportet.

Non tantùm ex salibus mineralibus non tingentibus sed etiam ex alcalibus vegetabilibus hujus generis consciuntur menstua. Ita fit

83. Aqua fixativa Trithemii,

p.37. Aurei veller. Germ.

Re. **A**quam fortem cum spiritu vini mixtam (superius sub No. 74. descriptam) cui adde olei Tartari per deliquium libram semis, destilla spiritum, phlegma abjice, & Terram sive sal residuum in spiritu solve.

Pro rerum fixationibus solutum serva; pro volatilisatione autem, sal Tartari cohobandum est toties, usque ascendat per modum salis com. in aqua comedente.

Huc refertur menstruum quod dicitur

84. Aqua